



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 3. In quo sensu vulgata editio sit intrinsecè authentica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

fontibus quatenus corrupti sunt & violati; quod faciendū Synodus, vulgatam nostram antepōnit, non ipsīs fontibus propriè loquendo, sed mendis qui in fontes illos irrepserunt vitio libratorum, vel etiam Malforetharum, cum de hebræo textu agitur; neque fontes Synodus lædit ullatenus, vel auctoritatem eorum minuit: cum enim constet eos variis in locis esse depravatos, ante decretum Synodi, tantæ non erant auctoritatis, ut eorum lectio retinenda esset ubique, adedque etiam ubi evidenter pugnat cum lectione vulgatæ nostræ, & lectio vulgatæ nostræ melior est, aut saltem bona, atque cum antecedentibus & consequentibus consentiens, nec aliunde sufficiens adest ratio iudicandi locum esse mendosum vitio libratorum.

Nota. Vulgata nostra, ut est in se & secundum se, ad fontes, quales extant in suis exemplaribus, se habet ut excedens & excessum: exceditur enim à fontibus, quia non habet omnem claritatem, omnem vim & energiam, omnes alludendi concinnitates, omnem sensum fecunditatem, quas habent fontes; & excedit, quia ubique essentialē habet perfectionem interpretationis, ubique verax est, ubique quoad sententias & res expressas conformis scripturæ originali, spectatæ secundum se: unde fontes, quales extant in suis exemplaribus, non habent eam puritatem & integritatem quam habet vulgatæ nostræ, ut est in se & secundum se. Quare sicut fontes, etiam quales extant in suis exemplaribus, ad menda quæ in vulgatam nostram irrepserant, corrigenda, plurimum prodesse potuerunt: ita & vulgatæ nostræ plurimum prodesse potest ad corrigenda menda quæ irrepserant in exemplaria fontium.

Nota. Ad hoc, quod prohibet Synodus, ne quis scilicet quovis prætextu vulgatam nostram rejicere audeat vel præsumat, requiritur & sufficit ut vulgatæ nostræ ut est in se & secundum se, ubique essentialē habeat perfectionem interpretationis, hoc est, ut ubique sit verax: nam, hoc posito, nullo prætextu rejici potest, ubi non apparet sufficienter eam vitio libratorum mendosam esse: ubicumque enim à librariis vitiatæ non est, ibi sincera est scripturæ originalis expressio: adedque nec rejici potest sive prætextu obscuritatis; nam si obscura est, fons clarior, per fontem explicanda est, non propter illum rejicienda: sive prætextu diversitatis, quia scilicet alium vulgatæ, alium verò fons præ se fert sensum; nam tunc, si fons ibi corruptus non est, duplicem sensum intendit Spiritus Sanctus, & sufficit quod unum è duobus reddiderit interpretis noster: sive prætextu contradictionis; nam cum lectio vulgatæ, fontis videtur contradicere lectioni, vel lectiones illæ conciliari possunt, vel non possunt. Si possunt, conciliantur; si non possunt, fons ibi depravatus est, adedque lectio vulgatæ nostræ retinenda.

Quæres 1. quibus editionibus latinis vulgatam nostram anteposuerit Synodus?

R. anteposuisse illis tantum, quæ tunc existebant, ut patet ex his decreti verbis, *quæ circumferuntur.* Unde 1. Synodus vulgatam nostram non anteposuit aliis versionibus latinis, quæ jam existebant ante S. Hieronymum, & à multis sæculis exciderant tempore Synodi; quia hoc necessarium non fuit. 2. Nec anteposuit aliis versionibus latinis quæ in posterum fieri possent; quia si aliquæ futuræ essent, divinare nec potuit, nec debuit. Præterea cum editio nostra non sit omnium editionum possibilitium optima, postea, Deo volente & procurante, in posterum fieri alia melior, cui proinde Ecclesia tunc temporis posset æqualem aut etiam majorem auctoritatem attribueret, propter majorem ejus cum originali scriptura conformitatem, vel claritatem, aliasve dotes quibus una versio alteri præstare potest.

Quæres 2. quot præter vulgatam nostram editionem fuerint aliæ editiones latinæ tempore Synodi Tridentinæ.

R. his, quæ ex hæreticorum officinis certò prodierant, prætermittis, fuerunt potissimum quatuor. Prima est Sanctis Pagnini è Dominicana familia. Secun-

da Isidori Clarii Brixiani. Tertia Arriæ Montani. Quarta præfert nomen Vatabli professoris Parisini. De prima, quæ Doctorem judicio omnium post vulgatam editionem optima est, sic loquitur Genebrardus in epistola ad Carolum IX. nuncupatoria operum Originis: *Sanctis Pagnini secundum eam* (vulgatam editionem) *omnium optima: sed, ut libere dicam, minus diligens, nimis ambitiosa, nimis curiosa, nimis grammatica, nimium Rabbinicarum minutiarum emula, quæque recentium præceptionum subtilitate, noxam sinceritati & sententiarum & rerum sapiusculè afferat: unde nec satis interdum coheret cum veterum Hebræorum doctrina, nec cum fidei catholice mysteriis, &c.*

Quartam non esse Vatabli, sed alterius, vel aliorum sub ejus nomine, ibidem testatur his verbis: *Nec opus est commemorare Vatabli, quæ circumfertur, interpretationem. Nam illa Vatabli non est, viri, uti accepimus ... doctissimi, & quod multi pluris faciendum est, christianissimi ... quod mihi ex eo sit probatum, quia a bonis & doctis ejus discipulis ... intellexi illum ea suppositiva editione sin fuisse offensum, ut proximus Robertum Stephanum typographum, jam apostasiam illam suam meditantem & accelerantem ad se accersitum gravissimè obiurgaret, & falsè criminis, quod non nisi fuga diluere poterat, postularet.* Hujus autem editionis auctorem asserit, vel ignorissimum fuisse hebræicæ lingue, vel malitiosissimum: quippe quam pessimè potuit, maximam partem & potiorē scripturæ convertit, velut de industria littera & sensu discedens, & data opera aberrationem à veritate hebræicæ appetens.

De cæteris quæ tempore illo ex hæreticorum tabernis prodierant, hæc ibidem scribit vir doctissimus, & peritissimus linguarum: *Ceteræ versiones quas nobis novatores pepererunt, ineptæ sunt, indoctæ, barbæræ, factiosæ, fidei sæpe & pietati noxiæ, corruptæ multis additionibus, detractionibus, distortionibus ... Genevensis (editio) est rapsodia assuta è variis Sanctis, Munsteri, Vatabli, & reliquorum centonibus & pannis.*

Longè aliter sensit de vulgatæ editione: nam de ea hæc superius scripserat: *Fere mentem & sententiam assequitur, etiam illis locis quibus videtur ab hebræica vel græca veritate discedere, & minus sæpe aberrat à suo archetypo, & cum id facit, res momenti est levioris, quam ut inde hæresis, vel absurda opinio formari possit.* Porro sic loquebatur de vulgatæ nostræ, qualis tunc temporis exerat in suis exemplaribus, adedque de vulgatæ nostræ plurimis libratorum mendis inquinata. Quid igitur de ea postquam emendatissimè impressa est, nunc diceret?

ARTICULUS III.

In quo sensu vulgatæ editio sit intrinsicè authentica.

Nota, vulgatam editionem intrinsicè authenticam esse saltem eo sensu, quod scripturæ originali quoad sententias & res expressas vel semper conformis sit, vel si quando difformis est, non sit nisi in rebus levioris momenti, & quæ ad fidei dogmata ac bonos mores non pertinent, tanquam certum & catholicis omnibus exploratum supponimus: omni enim homini benè catholico indubitandum est, hanc saltem originali scripturæ conformitatem non posse non habere versionem illam, quæ Ecclesia universa latina, omnibus aliis rejectis vel neglectis, tanquam germana verbi divini interpretatione usa est per mille annos & amplius in instruendis fidelibus, & fidei dogmatibus confirmandis, tam in Conciliis, quam extra Concilia. Solum ergo hic quaeritur, an vulgatæ editio authenticam intrinsicam habeat in sensu ampliore. Huic quaestioni ut satisfaciat, sit

RESPONSIO.

Vulgatæ editio est intrinsicè authentica, etiam in eo sensu, quod scriptorum sacrorum authographis ubique consentiat quoad sententias & res expressas; atque ita ne in levissima quidem circumstantia à veritate

veritate scripturæ originalis aberret: licet omnem claritatem, omnem vim, omnem elegantiam, omnes senus originalis scripturæ non assequatur.

Prob. 1. Deus non minus liberalis, nec minus providus fuit erga Ecclesiam latinam, quam erga græcam, quæ præter ipsos fontes puros novi Testamenti, habuit etiam puram & integram interpretationem veteris, nempe versionem lxx. interpretum. Ergo Deus providit Ecclesiæ latinæ sua lingua puram & integram librorum factorum translationem. Consequentia patet: ant. verò, nempe quod Deus non minus erga Ecclesiam latinam, quam erga græcam providus fuerit, evidenter suadet ex eo quod Ecclesia latina apud se supremam habeat sedem, & perpetuam fidem, Ecclesia græca tota, vel saltem ex maxima parte, in apostasiam lapsa, conservata erat.

Prob. 2. Quia error vel levisimus circa sensum scripturæ originalis imputari non potest vulgaræ nostræ sine gravi & urgente aliqua causa; alioqui gratis & temere elevaretur vulgaræ nostræ auctoritas. Atqui nulla est hujusmodi causa; quia nihil contra vulgaræ nostræ veracitatem objici potest, quod resolvi non possit, etiam plausibiliter. Ergo, &c.

Confirmatur 1. quia convenientissimum fuit, ut in Ecclesia, in qua fides pura & integra perpetuè mansura erat, verbum quoque à Deo olim scriptoribus factis inspiratum, perpetuè maneret purum & integrum. Ergo convenientissimum fuit, ut Deus, qui prævidebat sacros fontes partim malitia aut falsis præjudicii christianæ religionis inimicorum, partim negligentia & inscitia librorum, partim injuria temporum depravatum iri; ita ut illis nunc in omnibus fidem habere minimè tutum sit; ante hanc depravationem procuraret Ecclesiæ latinæ sua lingua interpretationem veracem, & ubique conformem originali scripturæ saltem quoad sententias & res expressas: ita ut ne vel in aliqua levissima circumstantia scripturæ originali discors esset: quamvis noluerit ei procurare eam, quæ omnem claritatem, vim, elegantiam, &c. scripturæ originalis assequeretur: quod nec necessarium fuit, nec fortasse, supposita tali idioma, tum indole ac diversitate, fieri potuit.

Confirmatur 2. ex doctibus S. Hieronymi, qui vulgaræ nostræ partim author, partim emendator fuit: tales enim ac tantæ fuerunt, ut prudentissimum & fundatissimum præjudicium ferant pro sententia nostra. Nam omnia ad scripturas divinas bene interpretandas necessaria, ingenium scilicet, eruditionem, linguarum peritiam, probitatem, diligentiam, cum exemplaribus integris, in eximio quodam gradu concurrisse in Hieronymo, à nobis suo loco demonstratum est.

Confirmatur 3. quia B. Hieronymus, scripturas sacras interpretando, aut earum interpretationem emendando, non magis dici potest identidem errasse in rebus levissimis, quam nunquam errasse in rebus alicujus momenti. Ergo si dicitur identidem errasse in rebus levissimis, dici quoque debet identidem errasse in rebus alicujus momenti. Dici autem non potest errasse aliquando in rebus alicujus momenti. Ergo nec dici potest errasse aliquando in rebus levissimis.

Prob. ans. Quia si B. Hieronymus dicitur identidem errasse in rebus levissimis, nulla videtur ratio probabilis afferri posse, cur dicitur nunquam errasse in rebus alicujus momenti. Nam si identidem erravit in rebus levissimis; sic tamen ut in rebus alicujus momenti nunquam erravit, vel quia quamlibet vir pius, quamlibet eruditus, homo fuit, & ita falli potuit & fallere; vel quia accepit à Spiritu sancto auxilium speciale ad vitanda errata quæ essent alicujus momenti, non verò ad vitanda levissima, quorum immunitatem reliquit hominis industria; vel quia paulò negligentior; & labori pepercit in iis quæ parvi erant momenti; vel quia sufficientem non habuit peritiam ad omnes omnino lapsus etiam in rebus levissimis cavendos; vel quia majori opus fuit diligentia ad vitanda omnia errata, quam ad vitanda aliqua tantum; unde factum est, ut diligentiam adhiberit ad

Simonnet Theol. Tom. II.

vitanda multa sufficientem, insufficientem verò ad vitanda omnia; vel denique, quia humanum non fuit, in tanto & tam arduo opere nunquam offendere, & omnes omnino lapsus etiam levissimos effugere. Atqui nihil horum dici potest probabiliter.

Non primum: nam quod Hieronymus fuerit homo, & omnis homo falli possit & fallere, est ratio generalis, & tam valet pro gravioribus, quam pro levioribus erratis: unde hac ratione conantur probare novatores, Hieronymum aliquando, imò sæpe lapsum esse etiam graviter.

Non secundum: nam quare Spiritus sanctus dicitur, Hieronymum specialiter adjuvisse, ne erraret in rebus alicujus momenti, & non adjuvisse specialiter, ne unquam erraret, & ut ubique sensum scripturæ originalis bene redderet? An Spiritui sancto arduum fuit, sic adjuvare S. Hieronymum? Invidite Spiritus Sanctus Ecclesiæ latinæ verbi divini interpretationem sua lingua talem, hoc est, ubique etiam in levissimis circumstantiis veram & germanam, qualem Ecclesiæ græcæ sua lingua non inviderat, sed procuraverat? Num aliquid utilitatis Ecclesiæ latinæ perceptura erat ex eo quod interpretis ejus in rebus saltem levibus identidem impigisset, in reddendo scripturæ divinæ sensu, & sic ejus interpretatio minorem & diminutam haberet auctoritatem?

Non tertium, aut quartum, quorum neutrum nisi improbabiler, imò & injustè asseri potest de S. Hieronymo, ut patet ex dictis hæcenus de doctibus ejus.

Non quintum: nam ex eo quod majori diligentia opus sit ad vitanda omnia errata, quam ad aliqua tantum vitanda, facilè quidem intelligitur B. Hieronymum diligentiam adhibere potuisse ad aliqua, imò & multa errata vitanda sufficientem, quæ sufficiens non esset ad vitanda omnia: at non probatur, ea præcisè usum esse diligentia, quacum nunquam labi posset, nisi in rebus levissimis.

Non denique sextum: nam ex illa morali impossibilitate vitandi errores omnes in tanto & tam arduo opere, quæ asseritur, sequitur quidem quod Hieronymus morali quadam necessitate identidem lapsus sit, modò in uno loco, modò in alio, modò in rebus majoris, modò in rebus levioris momenti, quamvis fortasse frequentius in istis, & rarius in illis: at quod sæpe in rebus levioris, & nunquam in rebus gravioris momenti lapsus sit, certè non probatur.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. S. Hieronymus, sive in interpretandis Scripturis, sive in emendandis Scripturarum interpretationibus non fuit infallibilis, adeoque errare potuit. Ergo gratis negaretur identidem errasse saltem in rebus levioris momenti.

R. 1. inter Doctores Catholicos non deesse, qui negent Hieronymum, sive in interpretandis Scripturis, sive in Scripturarum interpretationibus emendandis, errare potuisse. Vide Melchiorum Cano lib. 2. de locis Theologicis c. 14.

R. 2. Admisso ant. neg. conseq. Nam non magis fuit infallibilis circa res graviores, quam circa res levioris momenti. Unde si ex eo quod non fuerit infallibilis, rectè concluditur eum identidem errasse in rebus levioris momenti, rectè pariter concludetur, eum identidem errasse in rebus gravioris momenti, quod certè non concedent ii, contra quos hic disputamus, & multum elevaret, aut etiam tolleret auctoritatem vulgaræ nostræ, valdeque injuriosum esset Ecclesiæ, quæ à tot sæculis editionem hanc, cæteris omnibus neglectis, vel etiam rejectis, tanti facit, & ut veram ac germanam scripturæ divinæ interpretationem consultit.

Itaque quamvis S. Hieronymus non fuerit infallibilis, sive in interpretandis Sacris Scripturis, sive in earum interpretationibus emendandis; nullum tamen in opere suo, postquam ei manum extremam imposuit,